

3. Si matrimonium sit Sacramentum, non possunt ab eo arceri Sacerdotes.

Respondeo 1. Caput & membra, vitem, & palmites non esse creata ad significandam istam conjunctionem Christi cum Ecclesia, neque illis ex promissione à Christo gratiam annexam esse, sed tantum ex naturali eorum potestate à Christo hanc similitudinem deduci; Cum autem matrimonium ex professo ad dictam conjunctionem significandam institutum sit, & gratiæ promissionem habeat; hoc Sacramentum est, non priora.

Respondeo, 2. Matrimonium ab initio mundi fuisse tantum contractum aliquem civilem, qualis nunc inter Gentiles est; nec ullam habuisse gratiæ promissionem, qualem nunc habet, ideoque Sacramentum tunc non fuisse, uti modo est.

Respondeo. 3. Non ideo Sacerdotibus prohiberi matrimonium, quia Sacramentum, sed quia sacerdotalis officii impedimentum est: nec absurdum est, eos, qui unum Sacramentum habent, ab alio arceri, licet utrumque sanctum sit, & gra-